



HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY

PROGRAMM

DES

GYMNASII ILLUSTRIS ZU GOTHA

als Einladung zur Theilnahme


an den

am 22., 23. u. 24. März zu veranstaltenden Prüfungen

sämmtlicher Gymnasialclassen.

INHALT.

Gotha, 1858.
Druck und Papier der Engelhard-Reyher'schen Hofbuchdruckerei.


HARVARD COLLEGE
MAY 22 1906
LIBRARY

Observationes criticae ad Vitruvium

auctore

Carolo Lorentzen.

Oblata hac scribendi occasione ita utar, ut quam rationem in Vitruvio emendando secutus sim paucis exemplis demonstrem. Cum Romae commorans in monumenta veterum architectonica studium meum contulissem, fieri non potuit, quin saepius Vitruvii libros adirem, qui soli nobis relicti sunt de architectura Graeca atque Romana. Talibus studiis occupatus facile perspexi, quantopere etiam post *Schneideri* et *Marinii* curas Vitruvii textus et erroribus et interpolationibus sit inquinatus. Cum igitur novae recensionis parandae consilium cepissem, contigit mihi, ut *Aemilio Braunio,* cuius praematuram mortem nuper omnes bonarum artium studiosi deploraverunt, benevolentissime intercedente uberrimus apparatus criticus, quem Aloisius Marini permagno sumptu atque labore sibi comparaverat, ab eius filio summa cum liberalitate utendus mihi concederetur. Ipse postea quae in hoc apparatu desiderabantur, quoad potui, supplere studui, qua in re, quoniam codices longe optimi et plurimi Romae asservantur, non sine successu elaboravisse mihi videor.

Est Vitruvius in numero eorum scriptorum, qui decimo quinto potissimum saeculo multum in Italia lectitabantur eamque ob causam saepe describebantur. Unde factum est, ut magnus codicum numerus ad nostram aetatem perveniret. Innotuerunt mihi quidem plus quinquaginta codices, quorum viginti quinque in bibliothecis Romanis inveniuntur. Omnes autem hos libros manuscriptos ex uno eodemque fonte derivatos esse vel ex iis quae postea proponam exemplis facile demonstrari potest. Sunt enim nonnullae et vel gravissimae corruptelae, quae eaedem in omnibus codicibus inveniuntur. Neque tamen ullus ex nostris codicibus archetypum reliquorum fuisse potest, quoniam pauci antiquiores quos habemus codices saepe lacunas quasdam habent, quae in recentioribus ita nonnunquam expletae sunt, ut supplementa pro meris librariorum coniecturis haberi non possint. Principem inter omnes locum et vetustate et auctoritate obtinet codex Vaticanus Reginas 1504. Constat centum viginti tribus foliis membranaceis; singulae paginae habent viginti octo

versus, qui ab uno ad alterum marginem integre porrecti sunt; accuratissime est exaratus; forma characterum perspicua est; neque multae neque difficiles sunt notae. Qui codicem confecit librarius Graecae linguae ignarus fuit; nam quae in libro octavo inveniuntur epigrammata et quae alia passim inserta sunt vocabula Graeca maximam partem sunt corruptissima, nonnunquam prorsus omissa. Codex hic potius exeunte decimo vel ineunte undecimo saeculo scriptus esse mihi videtur, quam, ut Marini putavit, saeculo octavo vel nono. Fuit quondam *Petavii*, cuius nomen in ima pagina secunda et in fine codicis ipsius manu, ut videtur, inscriptum est. Hinc in bibliothecam *Christinae* reginae Sueciae pervenit; inde cum reliquis huius reginae libris in bibliothecam Vaticanam translatus est. Huius codicis quamquam in apparatu Mariniano egregia mihi parata erat lectionum copia, tamen ipse eum cum mea recensione accuratissime contuli et vel minutissimas discrepantias orthographicas enotavi.

Proxime ad hunc accedit codex Guelferbytanus (Gudianus 69), de quo *Schneider*, qui eum accuratius excussit, in praefatione editionis suae egit*). Conscriptus est saeculo duodecimo.

Reliqui omnes, quos equidem novi, recentiores sunt et saeculo decimo quarto vel decimo quinto haud dubie tribuendi. Melioris notae inter Vaticanos est Cod. Regin. 1328, cum quo Cod. Vatic. 2230 et Cod. Laurent. plut. XXX, num. 10 plerumque concordant. Omnes hi codices recentiores in gravioribus quidem corruptelis nihil differunt ab antiquioribus et melioribus, sed innumeris locis exhibent lectiones faciliores vel elegantiores et lacunas, quae in illis vel sunt vel esse librario videbantur, supplementis nonnunquam speciosis, saepius alienis et absurdis explent. Non dubito, quin plurima, quae in saeculi decimi quinti codicibus novata sunt, Italorum coniecturis sint adscribenda. Possunt quidem inter hos codices diversae familiae discerni. Ita concordant plerumque inter se Cod. Regin. 1965, Palatin. 1562, Ottobon. 1930 et Urbin. 293, et hi quatuor libri inter recentiores maximam fidem merere videntur. Ad alteram familiam minus bonam pertinent Cod. Vatic. 2229 et 6020. Praeterea Cod. Palat. 1563 semper fere congruit cum Corsiniano et cum Mediolanensi bibliothecae Ambrosianae (qui anno 1474 exaratus est). Peioris notae est Cod. Ottobon. 1233 (scriptus anno 1466), cum quo in plurimis consentit Cod. Ottob. 1561.

Inter editiones princeps est ea, quae *Ioanne Sulpicio Verulano* auctore prodiit sine loci et anni indicatione; sed quoniam in epistola nuncupatoria ad Cardinalem Riarium Sulpicius affirmat se opus suum edere sedente Innocentio VIII, apparet librum intra spatium, quod est ab anno 1484 usque ad 1492, in lucem prodiisse. Sequitur editio Florentina,

*) cf. etiam Schoenemann *Diplomatik* II, p. 114—117.

anno 1496 impressa; deinde editio Veneta anni 1497. Tres hae editiones in eodem numero cum codicibus recentioribus sunt habendae. Editio Sulpiciana ducta esse videtur ex Cod. Palatino 1563 vel ex Corsiniano, cum quibus semper fere consentit; editiones Florentina et Veneta ex Sulpiciana ductae sunt.

Sequitur inter editores *Iocundus* (Fra Giocondo), qui quater Vitruvium edidit (Venet. 1511, Florent. 1513, 1522 et 1523). Huius textus omnibus insequentium saeculorum editionibus usque ad nostra tempora fundamenti loco erat. Quid quod vel Schneider, qui temerariam Jocundi audaciam bene perspexerat, permultis locis non eo pervenit, ut ab eius auctoritate liber esset? Iocundus ipse de opera, quam in Vitruvio edendo et emendando collocavit, in epistola nuncupatoria ad Iulium II Pontificem Maximum, quae primae editioni (anni 1511) praemissa est, ita loquitur: „Sume igitur placido vultu, Beatissime Pater, quos tibi dedico in hoc auctore restituendo labores; nec eos fuisse modicos existimes, quando (ut intelligerem) non sine multo sudore et lassitudine eius verba et sensum cum ruinarum veterumque aedificiorum reliquiis me contulisse notum sit, non semel modo, sed saepe et numerose. At hoc etiam (tanta mihi fuit huius rei cura) parum visum fuisset, si ipsius auctoris integram habuissemus lectionem; quam quia pene totam corruptam offendi, nec quemquam quamvis studiosum aut onus corrigendi suscepisse, aut ad perfectam eius intelligentiam penetrasse inveni, diligentius meo studio, dum singula perquirere coepi, ad antiqua exemplaria tamquam ad ansam dignoscendae rei me contuli, nec ad pauca quidem, nec una tantum regione vel urbe reperta, sed multis. Sicque duplici studio intentus, veterum scilicet ruinarum monumentis et situ vetustatis redolentibus libris, satis patentem mihi feci intelligendi semitam, et ex diversa lectione effectum est, ut ex uno vel altero codice quam multa correcta loca invenerim, vel ad corrigendum iter ostenderim; et ubi haec non iuverunt, sic omnino uti erant reliqui." Quod si Iocundus rem ita, uti hic dicit, administrasset, utilem operam Vitruvio praestiturus fuisset. Sed longe aliter fecit. Fuit homo non minus temerarius quam ingeniosus, et quoniam ipse insignis erat architectus, non est mirandum, quod Vitruvium praeceptorem eius artis, in qua ipse tum regnare videbatur, summa cum confidentia et audacia emendavit et interpolavit. Ex exemplis, quae infra proponam, apparebit, quanta cura, ubicunque vulgatae lectiones a codicum scriptura discrepant, cavendum sit, ne Iocundi interpolationes et coniecturas auctoritate idonea confirmatas esse putemus. Omnes qui secuti sunt usque ad Schneiderum editores, *Machaeropioeus, Philander, Barbarus, de Laet, Galiani, Rode, Bipontina* et vel *Polenus,* in explicando auctore plus minus feliciter elaborarunt, sed in tota textus recensione ita pendent a Iocundo, ut vix uno vel altero loco ab eo discedant. Magnopere a prioribus differt editio, quam paravit *Io. Gottlob Schneider* (Lips. 1807), qui Iocundi temeritate bene perspecta, si uberiore apparatu critico usus fuisset et ampliorem monumentorum et artis architectonicae co-

gnitionem habuisset, etiam in textu restituendo felicior futurus fuisset. Sed ipse queritur se non satis instructum esse rei architectonicae scientia. Criticus autem apparatus, quo usus est, admodum mancus erat. Nam praeter Cod. Guelferbytanum et Wratislaviensem*) (qui inter peiores numerandus est) nulla fere instrumenta critica habuit, nisi quae priores editores hic, illic neque satis accurate enotata praebebant. Ita factum est, ut multis locis, quae Iocundo tantum debentur, ex codicibus sibi ignotis hausta esse putaret. Luculentissimum huius rei exemplum est locus, quem infra proponam (lib. VII, cap. 6), qui totus a Iocundo est interpolatus, et ad quem Schneider (Tom. III, p. 61) haec annotat: „Capitis huius partem omissam nusquam repetunt libri manuscr., ut Iocundus integriore codice usus esse videatur, unde eruit supplementum haud contemnendum, quod deest in codicibus scriptis reliquis." Peius etiam est, quod eodem in loco accidit Marinio, qui, quamquam amplissimo apparatu critico instructus erat, eam huius capitis partem, quae tota a Iocundo ficta et interpolata est, coniecturis emendare et expolire studuit (Vol. II, p. 98 ed. Marini).

Multo emendatiorem iam dudum habuissemus Vitruvium, si *Carolus Fea* promissis stare potuisset. Is enim comparatis triginta codicibus novam editionem criticam se paraturum esse promisit eiusque operis edidit specimen egregium**), sed postea opus inchoatum non perfecit.

Restat, ut dicam de copiosa et splendida editione, quam publici iuris fecit *Marini*. Iure profecto hic confirmare potuit se neque sumptui neque labori pepercisse. Nam egregia et amplissima sibi comparavit adiumenta critica et exegetica. In explicando Vitruvio nemo maiores laudes meretur. Minus feliciter ei successit ars critica, qua auctoris sui verba emendare et restituere studuit. Nam quicunque leviter tantum farraginem variarum lectionum, quam in volumen tertium congessit, inspexerit, facile videbit eum in arte critica sequi rationem eclecticam, qua peior cogitari nequit. Praeterea in errorem infelicissimum inductus est prava et neglegenti codicis Bononiensis collatione. Ipse Marini dicit***) eminere inter omnes codicem Bononiensem, quem ideo potissimum secutus est. Sed iam alio loco†) demonstravi nullam esse huius codicis praestantiam omnesque peculiares lectiones, quae ex eo enotantur, socordiae et neglegentiae eius deberi, qui in Marinii usum huius codicis collationem instituit. Ipse saepe manibus tractavi collationem, qua Marini usus est, et vidi

---

*) Accuratiorem de hoc codice notitiam debeo eximiae benevolentiae *Theodori Mommsenii*, qui eum inspexit et nonnullorum capitum collationem mecum communicavit. Non possum, quin hoc loco etiam *Augusto Baumeister* amicissimo gratias agam, qui et quatuor Florentinorum, qui in bibliotheca Laurentiana asservantur, et trium Parisinorum codicum descriptionem mecum communicavit nonnullorumque capitum collationem meum in usum confecit.

**) Fea progetto per una nuova edizione dell' architettura di Vitruvio. Roma 1788.

***) Vol. I, p. XXXIX.

†) Annali dell' Instituto archeologico 1854, p. 78.

eam factam esse ad editionem Iocundi anni 1522. Diu mirabar, quod multis locis, ubi Iocundi coniecturam vel interpolationem deprehendisse mihi videbar, codicem Bononiensem variare non notatum esset. Nec facere poteram, quin codicem aut prorsus peculiarem recensionem continere aut, quod verisimilius mihi videbatur, neglegentissime collatum esse suspicarer. Itaque per epistolam adii Professorem Bononiensem *Frati*, rogans, ut locos nonnullos, in quibus Bononiensis a reliquis codicibus discrepare, cum Iocundo concordare videbatur, accuratius examinaret. Quod cum ille, qua est liberalitate, fecisset, apparuit verum esse quod suspicatus eram; omnibus his locis Bononiensis non differebat a communi codicum lectione. Inde non dubium videtur, quin Marini, qui suam collationem fide dignam opinabatur, Bononiensem codicem cum Iocundo consentire eumque praestantissimum omnium esse putaverit. Nec mirum, quod ita plurimis et potissimum difficillimis in locis decipiebatur. Postea ipse, cum Bononiae essem, codicem accuratius inspexi eumque nihil a reliquis recentioribus differre et ne melioris quidem notae esse vidi; sed scriptus est characteribus non satis distinctis; praecipue in vocabulorum terminationibus multae et interdum difficiliores adhibitae sunt notae; eaque difficultas causa fuisse videtur, cur is, qui codicem contulit, Marinium decipere maluerit, quam laborem, uti debebat, exsequi. —

Talis cum esset librorum Vitruvianorum conditio, paranda nova recensione non inutile opus suscipere mihi videbar; qua in re quam rationem secutus sim, longum est hic singulatim persequi. Paucis potius exemplis propositis demonstrabo me id potissimum egisse, ut a priorum editorum vel temeritate vel socordia Vitruvii verba ad codicum auctoritatem revocarem.

In libri quarti capite tertio Vitruvius exponit Doricam aedium sacrarum rationem, et postquam initio locutus est de operibus *diastylis*, quorum in intercolumniis mediis in pronao et postico terni, in reliquis intercolumniis bini triglyphi sunt collocati, transit ad explicandam operum *systylorum* rationem*), quae arctioribus intercolumniis ita sunt comparata, ut supra singula intercolumnia singulos triglyphos, supra media in pronao et postico binos habeant. Locus hic est in codicibus omnibus corruptus, ab editoribus variis modis emendatus, dilaceratus, interpolatus, nihilominus tamen ab omnibus fere, qui ad architecturam antiquam studium contulerunt, desperatus. Ut ordine rem aggrediar, primum proponam codicum lectionem. Codex Regin. 1504, quocum reliqui omnes, si excipias parvas nonnullas discrepantias orthographicas, consentiunt, locum ita habet:

„Haec ratio in operibus diastyliis erit constituta. Si vero systylon et monotriclyphon opus erit faciendum, frons aedis, si tetrastylo erit, dividatur in partes XVIII.

*) Vitruv. IV, 3, 7 ed. Schneider, pag. 174 meae editionis.

si exastylos erit, dividatur in partes XXVIIII ex his pars una erit modulus, ad quem, uti supra scriptum est, dividantur. Ita supra singula epystilia et metopha et triglyphi bini erunt conlocandi in angularibus hoc amplius quantum dimidiatum est spatium hemi tryglyphi id accedit in mediano habens cymatium doricum in imo. alterum in summo. Item cum cymatiis corona crassa ex dimidia. dividendae autem sunt in corona ima ad perpendiculum contra fastigium trium triglyphorum et trium metopharum spatium distabit. quod latius medium intercolumnium accedentibus ad aedem habeat laxiamentum et adversus simulacra deorum aspectus dignitatem. Columnas autem striari XX striis oportet" etc.

Facile apparet ordinem verborum magnopere esse perturbatum. Nam neque grammatice haec verba ita coniungi possunt, ut perspicua enuntiata inde efficiantur, neque res quae memorantur ullo modo inter se concordant. Exorditur enim Vitruvius ab exponenda ratione, quae intercedit inter triglyphos et intercolumnia; deinde subito inicitur mentio de corona et cymatio; denique revertitur ad triglyphos et intercolumnia. Iocundus primus eumque secuti reliqui editores perspexerunt ea, quae de corona et cymatio interposita sunt, turbare iustum ordinem sententiarum; itaque haec verba transponenda, et ut perspicuae sententiae efficiantur, emendanda et supplenda esse censuerunt, eaque ratione factum est, ut omnibus in editionibus hic locus variis modis interpolatus sit. At vero sanari poterat haec corruptela simplicissima ratione, quam quod nemo viderit, mirandum est. Nam haec verba „habens cymatium doricum in imo, alterum in summo; item cum cymatiis corona crassa ex dimidia (moduli). dividendae autem sunt in corona ima ad perpendiculum" leguntur etiam altero loco in eodem capite*), ubi de aedibus diastylis agitur. Iam facillime fieri poterat, ut librarius neglegentior hos paucos versus repeteret iisque male insertis totum locum, qui est de operibus systylis, turbaret. Et quoniam omnes quos habemus Vitruvii codices eandem huius loci corruptelam exhibent, perspicuum est iam in communi nostrorum codicum fonte locum interpolatum fuisse. Itaque equidem censeo locum nostrum non esse, ut reliqui editores omnes voluerunt, supplendum, sed potius eicienda esse quae socordiae tantum librariorum debentur. Editores inde a Iocundo verba „habens cymatium — ad perpendiculum" exemerunt ex eo loco, ubi in codicibus leguntur, eaque transposuerunt post „aspectus dignitatem", et quoniam ita, ut in codicibus leguntur, intellegi nequeunt, ea suppleverunt ita, ut, quae iam supra Vitruvius de corona templi diastyli dixerat, ad templa systyla repeterentur. At non solum superflua sunt, sed vel importuna ac molesta, quae tali ratione de corona repetuntur. Nam Vitruvius postquam totam generis Dorici rationem in aedibus diastylis exposuit omnesque singularum partium mensuras indicavit, iam, ubi de

*) IV, 3, 6 ed. Schn.

aedibus systylis loquitur, eas tantum partes explicat, quae a diastylis discrepant, praetermittit autem omnia, quae cum illis concordant. Debebat igitur intercolumniorum, triglyphorum, metoparum rationem explicare; haec enim in aedibus diastylis et systylis discrepant. Neque vero necesse erat, ut de corona, cymatio, guttis, viis repeteret quae iam supra dicta erant, quoniam hae partes eaedem sunt in operibus diastylis et systylis. Eiectis autem his verbis, quae e superioribus huc irrepserunt, reliqua omnia paucissimis et levissimis mędelis restitui possunt. Quod quo melius perspiciatur, placet infra apponere et quae codices habent, et Schneideri textum (a quo reliqui editores non multum recesserunt) et meam recensionem.

Editio Schneideri.

Haec ratio in operibus diastylis erit constituta. Si vero systylon et monotriglyphon opus erit faciendum, frons aedis, si tetrastylos erit, dividatur in partes XVIIII. S. si hexastylos erit, dividatur in partes XXVIIII. S. ex his pars una erit modulus, ad quem, uti supra scriptum est, opera dividantur. Ita supra singula epistylia et metopae duae et triglyphi singuli erunt collocandi: in angularibus hoc amplius; quantum est spatium hemitriglyphi, id accedit in mediano. Contra fastigium duorum triglyphorum et trium metoparum spatium distabit, ut latius medium intercolumnium accedentibus ad aedem habeat laxamentum, et adversus simulacra deorum aspectus dignitatem. Insuper triglyphorum capitula corona est collocanda habens, uti supra scriptum est, cymatium doricum in imo, alterum in summo; item cum cymatiis corona crassa ex dimidia moduli. Dividendae autem sunt in corona ima ad perpendiculum triglyphorum et ad medias metopas viarum directiones et guttarum distributiones et reliqua quoque, quemadmodum dictum est in diastylis. Columnas autem striari XX striis oportet . . .

Cod. Regin. 1504.

Haec ratio in operibus diastyliis erit constituta. Si vero systylon et monotriclyphon opus erit faciendum, frons aedis, si tetrastylo erit, dividatur in partes XVIII. si exastylos erit, dividatur in partes XXVIIII ex his pars una erit modulus, ad quem, uti supra scriptum est, dividantur. Ita supra singula epystilia et metopha et triglyphi bini erunt conlocandi in angularibus hoc amplius quantum dimidiatum est spatium hemi tryglyphi id accedit in mediano habens cymatium doricum in imo. alterum in summo. Item cum cymatiis corona crassa ex dimidia. dividendae autem sunt in corona ima ad perpendiculum contra fastigium trium triglyphorum et trium metopharum spatium distabit. quod latius medium intercolumnium accedentibus ad aedem habeat laxiamentum et adversus simulacra deorum aspectus dignitatem. Columnas autem striari XX striis oportet . . .

Mea editio.

Haec ratio in operibus diastylis erit constituta. Si vero systylon et monotriglyphon opus erit faciendum, frons aedis, si tetrastylos erit, dividatur in partes XVIIII S, si hexastylos erit, dividatur in partes XXVIIII S; ex his pars una erit modulus, ad quem, uti supra scriptum est, opera dividantur. Ita supra singula epistylia et metopae et triglyphi bini erunt collocandi; in angularibus hoc amplius dimidiatus, et quantum est spatium hemitriglyphi, id accedit; in mediano contra fastigium trium triglyphorum et trium metoparum spatium distabit, quo latius medium intercolumnium accedentibus ad aedem habeat laxamentum et adversus simulacra deorum aspectus dignitatem. Columnas autem striari XX striis oportet....

Iam apparet me praeter vocabulorum Graecorum orthographiam, quam ubique fere in Vitruvio librarii Graecarum literarum ignari male habent, paucas tantum easque facillimas emendationes adhibuisse. Restat, ut et quae emendavi comprobem argumentis, et ubi codicum scripturam retinui, hanc contra editorum coniecturas defendam. Statim in initio Barbarus eumque secuti Galiani et Marini „systylon" mutato in „pycnostylon" scripserunt „si vero pycnostylon et monotriglyphon opus erit faciendum". Dicunt enim ea templa, quae supra intercolumnia singulos tantum habeant triglyphos, arctiora habere intercolumnia, quam quae Vitruvius ipse aedibus systylis tribuat, eaque propius accedere ad pycnostylorum mensuram. Ipse enim Vitruvius *) discernit quinque genera aedium, prout minus aut maius est intercolumniorum spatium; quorum generum nomina sunt haec, *pycnostylos,* cuius intercolumnio unius et dimidiatae columnae crassitudo interponi potest, *systylos,* in quo duarum columnarum crassitudo in intercolumnio potest collocari, *eustylos,* cuius intercolumnia duarum columnarum et quartae partis columnae continent crassitudinem, medium autem intercolumnium in fronte et in postico trium columnarum crassitudinem habet, *diastylos,* in quo trium columnarum crassitudinem intercolumnio interponere possumus, denique *araeostylos,* in quo intercolumnia vel amplius sunt patentia. Tota autem haec quae ex intercolumniorum mensura petita est quinque generum distinctio nequaquam referenda est ad Doricam aedium rationem, sed pertinet ad Ionicum tantum et ad Corinthium genus. Nam in templis Ionicis et Corinthiis, ubi zophori aut puri sunt aut liberis ornamentis insigniti, columnarum positio non pendet ex zophori natura, eamque ob causam maiores intercolumniorum varietates exsistere possunt; Dorico autem in genere et columnarum positio et intercolumniorum mensura omnis pendet ex zophori, qui ex triglyphis et metopis compositus est, natura; quapropter duas tantum aedium Doricarum species Vitruvius discernit, neque possunt esse plures; nam aut remissiora sunt intercolumnia habentque duos triglyphos interpositos, aut sunt arctiora habentque singulos tantum triglyphos; alterum genus Vitruvius vocat diastylon, alterum systylon. Itaque nihil mutandum est in codicum scriptura, atque in errorem lapsi sunt qui illam quinque generum distinctionem ad rationem Doricam transferre voluerunt.

Levi emendatione indigent numeri modulorum, qui templi tetrastyli et hexastyli frontem efficiunt. In tetrastylo codices plurimi et optimi frontem dicunt habere XVIII modulos, Cod. Sagred. XXVIII, Cod. Florent. plut. XXX, num. 12 et Wratisl. XXIX, Cod. Palat. 1563 et Corsin. XXIII, inter editores Iocundus, Machaeropioeus, Philander, Laetus, Rode et Bipontina habent XXIII, Galianus et Polenus XXII, Barbarus, Schneider et Marini XVIIII S. Veram esse hanc ultimam scripturam calculis initis facile demonstratur. Nam in systylo tetrastylo habemus supra singulas columnas singulos triglyphos (= 4 trigl.), in

*) III, 3.

intercolumnio mediano duos triglyphos, in reliquis duobus intercolumniis singulos (= 4 trigl.); inter triglyphos interpositas habemus septem metopas; itaque, quoniam triglyphi habent unius moduli, metopae unius moduli et dimidiati latitudinem, calculus erit hic:

8 triglyphi	= 8	moduli,
7 metopae	= $10\frac{1}{2}$	„
2 semimetopia in angularibus columnis	= 1	„
	$19\frac{1}{2}$	moduli,

quam ob rem pro XVIII modulis scripsimus XVIIII S.

In systylo hexastylo codices longe plurimi et optimi (inter quos Regin. 1504) habent modulorum numerum XXVIIII, Cod. Regin. 2079 XXIIII, Codd. Palat. 1563, Chis. *H*, IV, 113, Corsin., Florent. plut. XXX, num. 10, Mediol. 2 XXVIII, inter editores Iocundus, Machaeropioeus, Philander, Laetus, Rode et Bipontina habent XXXV, Galianus et Polenus XXXII, Barbarus, Schneider et Marini XXVIIII S, qui numerus iustus est nec a codicibus differt nisi addita dimidii notula. Nam in hexastylo ad tetrastyli mensuram accedunt quatuor triglyphi et quatuor metopae; ita calculus erit hic:

12 triglyphi	= 12	moduli,
11 metopae	= $16\frac{1}{2}$	„
2 semimetopia in angularibus columnis	= 1	„
	$29\frac{1}{2}$	moduli.

Quae secuntur verba non emendatione, sed interpretatione egent. In primis enim quaeritur, quid significent „singula epistylia". Fuerunt qui epistylia cum intercolumniis confunderent; cum vero Vitruvius hic ageret de operibus „systylis et monotriglyphis", quae supra singula intercolumnia singulos triglyphos, supra media binos habent, mutaverunt id quod in codicibus est „metopa et triglyphi bini" in „metopae duae et triglyphi singuli". Ita fecerunt Philander, Barbarus, de Laet, Galiani, Bipontina et Schneider; sed perperam ita scripserunt. Nam singula epistylia sunt singulae epistylii partes (die einzelnen Architravstücke), quae a centro unius columnae ad alterius centrum pertinent. Apparet hic ad iustum triglyphorum numerum efficiendum computandos esse etiam duos dimidiatos triglyphos, qui supra medias columnas positi utrimque extremis epistyliis imponuntur. Ita revera singulis epistyliis duo triglyphi (unus integer et duo dimidiati) et duae metopae superposita sunt. Scripsi igitur „et metopae et triglyphi bini". Eandem ob causam infra, ubi scriptor de mediano epistylio loquitur, retinendum est quod codices habent „trium triglyphorum et trium metoparum", neque mutandum in „duorum triglyphorum". Denique in angularibus epistyliis accedit dimidiatus triglyphus et praeterea semimetopium, quod habet dimidiam moduli sive triglyphi latitudinem. Itaque amplexus sum Marinii emendationem, qui codicum scripturam „quantum dimidiatum est spatium hemi triglyphi"

felicissime transposuit ita „dimidiatus et quantum est spatium hemitriglyphi". — Reliqua omnia facillime procedunt. Unum hoc non praetermittam, me in verbis „quod latius medium intercolumnium" maluisse emendare „quo latius" quam cum reliquis editoribus „ut latius", quoniam „quo" ad codices propius accedit et ad comparativum „latius" optime quadrat.

Etiam alterum locum ex libro septimo propositurus sum, quo omnes codices in ordine verborum quam maxime perturbato consentiunt. Dilacerata et dispersa orationis Vitruvianae membra in ordinem redigenda et supplenda curavit Iocundus, quem reliqui omnes editores secuti sunt, etiam Schneider et Marini. Quod quo consilio et successu fecerit, optime apparebit, si, quo ordine codices libri septimi caput sextum, septimum, octavum et nonum exhibent, proposuero. Caput sextum in codicibus ita legitur:

> „Marmor non eodem genere omnibus regionibus procreatur, sed quibusdam locis glebae ut salis micas perlucidas habentes nascuntur, quae contusae et molitae praestant operibus utilitatem. Quibus autem locis hae copiae non sunt, caementa marmorea sive assulae dicuntur quae marmorarii ex operibus deiciuntur contunduntur et molliuntur] [Et his qui ex his ab ignis vapore fumus suscitatur, cum resedit in solum furni . . . ."

Iam omissis omnibus, quae in editionibus interiecta sunt, codices ea habent, quae cap. VIII, 2 (ed. Schn.) leguntur. Pergitur deinde eodem ordine, quo in editionibus, usque ad cap. IX, 3:

> „At si qui subtilior fuerit et voluerit expolitionem miniaciam suum colorem retinere, cum paries expolitus et aridus] [est subcretum in operibus utuntur aliis locis ut inter magnesiae et ephesi fines . . . ."

Hic in codicibus leguntur quae ed. Schneid. cap. VII, 5 habet; ea vero per paucas tantum lineas cum editionibus consentiunt. Pergitur enim ita:

> „sunt loca unde foditur parata, quam nec molere nec cernere opus est, sed sic est subtilis, quemadmodum si qua est manu contusa et subcreta. Colores vero alii sunt, qui per se certis locis procreantur et inde fodiuntur . . ."

Post haec verba secuntur quae apud Schneid. sunt in cap. VI, 2; hinc eundem cum editionibus ordinem servant usque ad cap. VII, 5:

> „Sandaraca item pluribus locis, sed optima Ponto proxime flumen Hypanim habet metallum. Ingrediar nunc minii rationes explicare . . ."

Ita omissa ultima capitis septimi parte codices exhibent ea, quae continet capitis octavi initium, in quo cum editionibus consentiunt usque ad haec verba (cap. VIII, 2):

„Hae glebae cum collectae sunt in officinam, propter humoris plenitatem coniciuntur in fornacem, ut interarescant] [fuerit ceram pumicam igni liquefactam paulo oleo temperatam seta inducat . . . ."

Iam secuntur ea, quae in editionibus leguntur cap. IX, 3; inde ab hoc loco codices et editiones consentiunt. Quinquies igitur a Iocundo transpositae et immutatae sunt magnae singulorum capitum partes; praeterea autem ab eo ficta et interpolata sunt omnia, quae cap. VI leguntur inde a verbis „quae marmorarii ex operibus deiciunt" usque ad „Colores alii sunt".

Nemo profecto intelleget, quomodo fieri potuerit, ut vel neglegentissimus librarius tantopere ordinem confunderet, toties huc illuc transiliret resiliret solidasque capitum partes omitteret. Itaque non dubitabam, quin faciliore et simpliciore via perturbatus ordo restituendus esset. Atque mox inveni totam difficultatem inde ortam esse, quod in nostrorum codicum archetypo duae unius folii paginae ita inversae sunt, ut posterior pagina priorem antecederet. Iam supra, ubi codicum ordinem posui, uncis interiectis indicavi, quibus locis ordinem turbatum esse censeam. Ordo egregie restitutus erit, si duas paginas, ex quibus totus hic locus consistere mihi videtur, in pristinum ordinem transposuerimus, quae res tanto maiorem habet probabilitatem, quia duae partes, quas inversas esse existimo, eundem fere habent versuum numerum. Quibus locis supra uncos non posui, codicum ordo perperam a Iocundo relictus est eamque ob causam restitui debet. Quae in capite sexto interpolata sunt, eicienda erunt. Pauca verba eo loco excidisse videntur, ubi prior pagina, quae in posteriorem locum delata est, incipit. Reliqua omnia bene cohaerent et sine ulla difficultate leguntur. Iam vero, quo melius quae supra exposui diiudicari possint, caput sextum a me restitutum infra ponam:

„Marmor non eodem genere omnibus regionibus procreatur, sed quibusdam locis glebae ut salis micas perlucidas habentes nascuntur, quae contusae et molitae praestant operibus utilitatem. Quibus autem locis hae copiae non sunt, caementa marmorea, sive assulae dicuntur, quae marmorarii ex operibus deiciunt, contunduntur et moluntur [et ea materia, cum] est subcreta, in operibus utuntur. Aliis locis ut inter Magnesiae et Ephesi fines sunt loca, unde foditur parata, quam nec molere nec cernere opus est, sed sic est subtilis, quemadmodum si qua est manu contusa et subcreta. Colores vero alii sunt, qui per se certis locis procreantur et inde fodiuntur; nonnulli ex aliis rebus tractationibus aut mixtionum temperaturis compositi perficiuntur, uti praestent eandem in operibus utilitatem."

Schulnachrichten
von Ostern 1857 bis Ostern 1858.

I. Uebersicht der im Laufe des Schuljahres behandelten Lehrgegenstände und Lehrpensa.

1. Selecta. Classeninspicient *Rost.*

Lateinisch 8 St. wöchentlich: a) Erklärung lateinischer Schriftsteller, 6 Stunden wöchentlich: aa) 2 St. Horat., das dritte Buch der Oden und ausgewählte Satiren des ersten Buches. Dr. *Lorentzen.* — bb) 2 St. Cicero de offic., das erste und zweite Buch. Prof. *Berger.* — cc) 2 St. Tacit. hist., erstes und zweites Buch. Prof. *Habich.* — b) Uebungen im schriftlichen und mündlichen Gebrauche der lat. Sprache, 2 St. wöchentlich, Prof. *Berger:* aa) allwöchentlich wurde ein Scriptum geliefert nach Dictaten, vierteljährlich ein freier Aufsatz und ein Extemporale. — bb) Disputirübungen, deren Grundlage ein lateinischer Aufsatz bot.

Griechisch 6 St. wöchentlich: a) Erklärung griechischer Schriftsteller: aa) 3 St. Thucyd., das zweite Buch und der Anfang des dritten. *Rost.* — bb) 2 St. Tragiker: Eurip. Phoeniss. und Soph. Antigone von V. 969 bis zu Ende. Prof. *Habich.* — b) 1 St. schriftliche Uebungen im Uebersetzen aus dem Deutschen in's Griechische nach Dictaten. *Rost.*

Deutsch 3 St. wöchentlich, Dr. *Regel:* a) 1 St. deutsche Aufsätze in Verbindung mit Uebungen im freien Vortrag. Jeder Selectaner hatte alle vier Wochen einen Aufsatz zu liefern. Bearbeitet wurden folgende Themata: I. Philosophische Abhandlungen: 1. Die Ungleichheit der Glücksgüter eine Wohlthat für das Menschengeschlecht. — 2. Omne tulit punctum qui miscuit utile dulci. — 3. *Τὸ κακὸν δοκεῖ ποτ᾽ ἐσθλὸν τῷδ᾽ ἔμμεν, ὅτῳ φρένας θεὸς ἄγει πρὸς ἄταν.* Sophocl. — 4. Die Verbindung zwischen Held und Dichter. (Motto: So bindet der Magnet durch seine Kraft das Eisen mit dem Eisen fest zusammen, Wie gleiches Streben Held und Dichter bindet. Goethe.) — 5. Warum können wir nie zu früh anfangen das Gute zu lernen? (Motto: Horat. Epist. I, 2, 54 und 67—70.) — 6. Freiheit und Verhängniß. (Motto: Noch Niemand entfloh dem verhängten Geschick, Und wer sich vermißt es klüglich zu wenden, Der muß es selber erbauend vollenden. Schiller.) — 7. Das rechte Selbstgefühl. (Motto: Wie groß für dich du seist, Vor'm Ganzen bist du nichtig, Doch als des Ganzen Glied bist du als kleinstes wichtig. Rückert.) — II. Reden: 8. Das Schwankende der menschlichen Ansichten und die ewige Sicherheit der göttlichen Weltordnung. (Motto: O blicke, wenn die Welt den Sinn dir will verwirren, Zum ew'gen Himmel auf, wo nie die Sterne irren. Rückert.) Entlassungsrede beim Austritt einer Anzahl hoffnungsvoller Zöglinge aus einer Anstalt. — 9. Das große Uebergewicht des Guten über das Schlimme in der Welt. (Motto: Wenn du Gott wolltest Dank für jede Lust erst sagen, Du fändest gar nicht Zeit, noch über Weh zu klagen. Rückert.) Trost- und Ermunterungsrede an eine versammelte Gemeinde in

